IOANNIS

PISTORII

EX NARBONO-

GALLIA NEMAV-

SENSI, D. MED.

MICROCOSMVS:

Seu liber Cephale Anatomicus de proportione vtriusque mundi: In cuius calce.

REVIVISCIT PELOPS.



LVGDVNI,

Apud Bartholomæum Vincentium.

M. DC XVIIII.

NOBILISSIMO

STRENVISSIMOQVE VIRO, D. D. PETRO AVGERIO, DOMINO DE GICON,

Baroni de Sabran, Consiliario Regio & eiusdem Oeconomo ordinario, præfecto generali in Gallia Narbonensi prætori Balneolensium Dom. Pontis S. Spiritus, & Montis Cetij, &c.

Ioann. Pistorius D. med. ὑγιαίνειν.

FECIT *virtus & humanitas tua (vir clarissime) vt perspecto officij mei genere, pauca ex farre nostro domestico deprompserim offerēda tibi non vt præmia, sed vt libamina & inuitamenta ad virtutum tuarum decantationem. Memini te & literarum, & literatorum esse sedulum obseruatorem. Bonarum enim artium & disciplinarum ἐγκυκλοπαιδείαν, meritò absoluisse videaris, Apollineáque eo iure hausisse pocula, vt vulnerare & sanitati restituere possis (non secus ac Achyllis hasta, si quem percusserit, eundem restituere valeat.) Arma siquidem*

iustitiæ gerenti tibi, si quem vulnerasse contigerit, hunc arte Machaonia, hunc medicaminum tuorum viribus reuiuiscere facias, cùm tibi vti alteri Asclepiali sit medicamentorum notissima facultas. Quid prodit diuina physica, quídue docet sub cœli concauo quod tibi incompertum fuerit? quorum animalium, quorum fossilium tibi est incognita natura? E cœlo descendis in aërem, ex aëre in mare, è mari in terræ viscera penetràs, metallorum, metallicorúmque fodinas perscrutaturus. Testis est singulare illud tuum musæum tanta solertia constructum, tantáque corporum varietate decoratum, vt de eo quemadmodum de statua Polycleti dici possit, quòd nihil desit, reliquorum existens norma, veréque in eo vti in Epitome totius mundi rerum simulachra iure quis connotet, verè Microcosmus, seu cœli, ignis, aëris, aquæ & terræ appendix. Cœlum enim inibi mouetur, Ignis ardet, quandoquidem omnia inibi contenta præ tanta rerum varietate & splendore coruscant, volatilia, aquatilia & gressilia animalia omnia ferè ibidem intuearis. Nec literatorum hominum es immemor (cui quidem Musæ cordi sunt, musarum gratiæ non displicent.) Quid displiceant cum omni virtutum genere donatus sis? Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam quis in te vti in compendio non intueatur? Prudentia in rerum humanarum administratione laudabili cernitur. Iustitia in iure quod cuique tribuere nosti. Fortitudo est à dextris. In solio iustitiæ sedes imperans ad instar diuinitatis. Terrori es malis, quorum mentes solo tui intuitu contabescunt, similem te propè dixerim. Huic fructui è nouo orbe allato, cuius contactu ferrum ipsum durissimum eroditur, nutritur corpus, Ananas vocant. Siquidem

non

non minus es solatio & recreationi bonis, quos per gladium seueritatis & iustitiæ in malos exercita stare facis. Temperantia te multorum annorum spatio saluum & incolumem reddidit, & reddet (precor) vltra Nestoris annos. Verum enimuero quia hæc vnicuique nota & perspecta sunt, tuáque tibi virtus, & clara, & magis conspicua est, quàm vt illius Encomia proferam, huncce libellum verè tuum tibi nuncupatum suscipe, & accipe. Tuum dico, quia cùm de proportione & analogia vtriusque mundi differat, ad te, qui in rebus naturalibus sis apprimè doctus, spectare iure merito videatur. Tuum, quia non me latent luculentissima erga me beneuolentiæ exhibita testimonia, cui, (si paulò aliter sentiamus, quàm illi, qui de hacce materia scripserunt antehac) nō est quod seueritatis tuæ calculum apponas, sed esto mihi fautor. Si paruus, magnus euadet clarissimi tui nominis adumbratus titulo: si fæculentus & impolitus, defæcabitur & polietur. Informa igitur & protege huncce nostrum Microcosmum, & benè ominare nobis qui tibi pauca offerimus. Fac dum viuet nomen tuum, viuat libellus meus sub tuo nomine, vt sic myrrha balsamóque clarissima tuæ virtutis imbutus & delinitus, intactus, incorruptus viuat ἀθάνατος. Magnis si tibi placuisse sat erit. Vale.

PROOEMIVM.

SI quid ſit, quod hominem deceat, homo eſt. Vt enim abſurdum eſt homini non noſſe hominem, pari ratione ſui & priuari, & carere notione indignum cenſeo: quandoquidem hæc adeò inter ſe cohærent, vt ne cuneus quidem abigat. Et hæc ſunt quæ non ad noſtrum impulerunt Microcoſmum, vbi & quid homo, & quid vnuſquiſque ſit, aut eſſe debeat, noſſe datur. Licet enim homo monſtrum ſine capite & ζῶον ἄλογον videatur, quòd tanto à brutis animantibus ſuperetur, quanto non ſuperat eadem: (ſolas homini grues oppono, quarum prudentia multorum hominum τέχνηια ſuperat.) Effugiunt bruta, ſi quæ ipſis mala & pericula impendeant, ſolus homo ruit in vetitum nefas. Homo videtur ſolus fortunæ ludibrium, eiuſdem referens characterem & globulum ſine ſede incertè vagantem. Quis non videat fortunæ vagum globulum in humano capite, corpori ſuo affixo, vti nauigio huc illuc ſine ſede fluctuanti? Quis volubilitatem hominis non intueatur in oculis? pernicitatem in lingua, quæ κόσμος τῆς ἀδικίας ἐστί, vt refert Diuus Iacobus. Verumtamen quia melior noſtri portio diuinitatem ſapit, cerebríque noſtri potior portio cœlum attingit, tum quòd in ſuperiori loco ſita, tum quòd cœleſti imbuta ſit

ſpiritu:

ſpiritu: ideo diuinum animal & ſapiẽs hîc contemplari lubet, vt perſpecta illius anatome, quod reliquorum animalium norma eſt & Polycletos, ſententiam mutemus noſtram, in tam nefaria quorundam de Microcoſmo opinione. Microcoſmum hactenus in corporis humani mole quæſiuerunt Medici: at nos Microcoſmum in intellectu, aut in capite, intellectu informato, inquirere nõ dubitamus. Mundi figura eſt Spherica & rotunda corporis humani longa & ſcabra. Nulla igitur in externo analogia & proportio: in interno multò minùs, vt poſteà demonſtrabitur. Quid ergo mouit tot medicos, vt aliter crederent? hactenus latuit in profundo veritas. Homo ab anima intellectiua reſidente in cerebro, potiſſimum denominatur. Microcoſmum quis non inquiret in capite? Quis in vilioribus humani corporis partibus velit eſſe Microcoſmum? (partes intelligo viliores omnes præter cerebrum.) Homo proculdubio nuncupatur Microcoſmus, quòd cætera longè antecellat animalia. Statuamus itaque Microcoſmum in humani capitis peripheria. In cerebro reſidere animam, vti in vniuerſo mundo, in noſtro Pelope firmiſſimis argumentis euincetur. Et hæc ſunt ad lapidem lydium reuocanda & veritatis trutina perpendenda. Nec enim videntur aliud, qui contrarium aſſerunt, ſtatuere, quàm & bruta animantia & hominem Microcoſmum eſſe, figmentorum poëticorum immemores & ignari. Finxêre veteres Athlantem humeris ſuis geſtaſſe Mundum, nihil meo iudicio

intelligentes quàm Athlantem gestasse humeris caput, in quo mundi figura & proportio existeret. Per Athlantem autem voluêre designare hunc Microcosmũnon in quolibet, sed in humano saltem corpore inquirendum esse. Subsiste hîc igitur lector, nec priusquam aut sapias, aut Anatomicus fueris, mordeas, si desipis tibi solo consultũ velim helleboro, nec hũc denegabunt Anticyræ, si minùs fueris in Anatome exercitatus, te ad Galenicos manes abigo, vt de re medica iudicium non feras, priusquam in Anatome fueris edoctus. Vale, & hæc à nobis oscitanter quasi facta, boni consule.

* * *

IOAN

IOANNIS PISTORII DOCT. MEDICI, MICROCOSMVS.

Neotericorum de Analogia vtriusque mundi assertio, maléque intellecta de mundi, cum humano corpore proportione superstitio.

C A P. I.

CVM homo diuinum animal, rationale & sociabile solum ad Philosophiam natũ edicto Platonis habeatur, huiusque tanta præstantia & sublimitas sit, vt in eo tanquam in Epitome totius mundi externa facies, & pulchritudo impressæ videantur (hinc à veteribus μικρόκοσμος appellatur & iure) huius nominis causam & Ethymon inquirere placet, nec alienum fuerit ex illo Democriti puteo, in quo defossa diu latuit veritas, veritatis rhytmum expiscari: siquidem non parum recreat amotis tenebris percepta lux, & amotis anilib. nugis, intellecta veritas. Vetus & recepta opinio est, sin mentibus omnium quotquot hodie viuunt, tum Neotericorum præcipuè impressa superstitio, hominem dici Microcosmum, quia rerum omnium quas magnus complectitur orbis species & simulachra in se contineat, ita vt nihil in mundo sit, quod non particulæ alicui cor-

Gal. 1 de vsu partium.

poris nostri respondeat. Quid enim licet imaginari quod non in se diuinum animal contineat? Omnia analogia & proportione (aiunt) sibi inuicem cohærentia reperias, non in intellectu, sed in illa hominis parte quæ est caduca: Sic vt Cœlum, Elementa & elementata omnia inibi contenta intueri liceat, at confusè & inexplicitè. Cupisne (inquiūt) cœlestem regionem, Cœlum habes in thoracis regione à clauibus ad cartilaginem ensiformem. Requirisne ætheream & supra cœlestem beatorum sedem? Hanc reperias in capite à vertice eiusdem ad claues vsque. Regio elementaris est in Abdomine à Cartilagine ensiformi seu malo Punico ad os pubis. An quid scire desideras vbinam reperiantur planetæ? Saturnum habes in liene, siquidem lien melancholiæ receptaculum. Saturni mores tibi tetricos & vesanos referet. Iouem etiam reperias in hepate vbi fit αἱμάτωσις: sanguis enim hilaritatis, & lætitiæ causa est. Mars est in cystide fellea: quemadmodum enim Mars totius bellici tumultus: sic bilis quæ naturaliter in cystide reperitur, iracundiæ & furoris causa est plerumque. Sol est in corde, inque media Thoracis regione, velut sol in meditullio cœli dominatur: calore suo vegeto, radiis suis vitalibus Microcosmum fouet & auget. Venus in pudendis & obscœnis partibus, Mercurius in ore & lingua locantur. Luna demum in substantia cerebri humida consistit, vt & in partibus corporis medullatibus, vt quæ Luna solis æstus alimentitio & suaui humore, & è contra; sic cerebri humida

substan

ſubſtantia, cordis ferociores æſtus contempe- rat. Hæc vt pulchrè dicta putant, & alia multò abſurdiora proferunt, quæ nec analogiam, nec proportionem habent. Terram in ſolidioribus grauioribúſque corporis partibus collocantes v.g. in oſſibus: Aquam in humoribus: Aërem in Aëre, quem quotidie ſpiramus: Ignem in ſpiritibus, qui ad inſtar igneæ ſubſtantiæ nuſquam putreſcunt. Maria in hepatis ſubſtantia conſtituūt, in quam venæ velut fluuij per canales duos inſignes, venam ſcilicet portæ & cauam, deſinunt. Piſces referunt lumbrici, quos plerique viderunt ſubſtantiam hepatis transfigere. Meteora quis non videat, niuem, pluuiam, grandinem, tonitru, fulmen, &c. Nix eſt in pituita vitrea, quam plerique hominum, ſenum præcipuè, inſtar lanæ expuunt. Pluuiam denotant catharri, coryzæ & fluxiones quælibet: grandinem ſputa illa paruula ſeſe conglobantia & lapideſcentia ferè. En horrendum tonitru, dum flatus, è reliquio alimenti, tanquam è nube, & ex aluo tanquam ex media aëris regione, emiſſus crepitat. Fulmen eſt in effulgurationibus oculorum, dum ira excandeſcunt vel noctu ſplendeſcunt oculi. Cometas referunt, tubercula, quibus & ebrij & lue venerea infecti ſcatent. Vt enim Cometæ alicuius perniciem: ſic & tubercula illa dira, cuiuſdam nebulonis interitum cōminantur. Stellæ ſunt in oculis conſpicuæ. Via lactea in vola manus, ſyluæ in pilis, feræ in pediculis: vtque feræ in ſyluis, ſic pediculi intra pilos degunt. Hæc & infinita alia iactantur, quæ lubens hîc prætermitto,

Ariſtoteles libr. 2. de partib. animaliū, cap. 7.

mitto, in recensendis illorum nugis substitutus.

Breuis confutatio rationum, quibus Neoterici suum adstruunt Microcosmum.

CAPVT II.

VAnitas certè opinionis est diuidere Microcosmum, vt Macrocosmum in supremam, mediam & infimas regiones præcisè: hæc enim nec dici possunt, nec debent, sed esto. In suprema sunt intelligentiæ & beatorum sedes. In media planetæ, quos quæso mihi ostendas omnes & singulos in media tua regione, solémque inter reliquos. Elementa videamus vniuersa & singula, in infima, suo ordine non longè à se inuicem seiuncta, effectúsque suos producentia. Mehercule nec terra frigida erit & sicca: nihil enim actu frigidum in humano corpore, nec siccum absolutè, quandoquidem corporis nostri partes sicciores, humido suo primigenio abundè saturátur, sano præcipuè corpore: nec enim ossa refrigerare & exsiccare, sed hæc refrigerari & exsiccari dixeris. Quinetiã nec aqua refrigerabit & humectabit, cùm humores sint promiscui, quorũ alij exsiccant, vt bilis & melancholia: calefaciunt alij, vt bilis, sanguis, pituita salsa, &c. Nec aër, quem spiramus instar aëris calefaciet, siquidem pro refrigerio cordis à pulmone trahitur. Nec spiritus ad instar ignis calefacient & exsiccabunt,

bunt, cùm eorum essentia in substantia vaporosa posita sit. In media tua regione Planetas requirito, non seiunctos, non diuulsos alium in cerebro, aliũ in pectore, alium in abdomine requirens: nec eorum influxus comperies similes; quia inter Planetas μακρῦ κοσμῦ quidam aspectu fœlici, quidam infausto esse creduntur, cùm in Microcosmo omnes in salutem & tutelam Microcosmi conspirent, nullíque infausti sint, nec vt planetæ μακρῦ κοσμῦ in μικρόκοσμον, sic μικροκοσμῦ planetæ in perniciem μακροκοσμοῦ conspirant. Saturnum, Martem, Venerem planetas, quos Astrologi mali influxus causas plerumque statuunt, non respondere Microcosmo quis non videt? Lien etenim cùm sit melancholiæ receptaculum & penu, hilaritatis potius quàm tristitiæ causa est, iuxta vulgatum illud.

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iram,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Dum enim secernit melancholiam à sanguine, ipsum expurgans, causa lætitiæ censetur: purus siquidem sanguis hilares facit humanos. Bilis item nec Marti respondet, dum siquidem à cystide sua in intestina, per porum cholidochum effunditur, impellit animal ad exercendum, sic vt saluum, sanum & incolume remaneat, & minus cholericum, licet si præter naturam sese habeat & superiora petat, delirij, phrenetidísque causa fiat per accidens. Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα λευκὰ πονηρά, μάλιστα δ' ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται. Id Hippocr. 4. aphor. 72.
est,

est, quibus pellucidæ & albæ sunt vrinæ, calamitosæ: præsertim si in phreneticis tales appareant. Nec Venus in pudendis & obscœnis partibus destruit, immo conseruat animal, quod de Veneris malo influxu & imbecillitate iniusta intelligi nequit. Nā Venus imbelles & fœmineos reddit homines; è contra testiculi, virile & muliebre membrum, vegetos, fortes & audaces efficiunt. Reliquas nugas quilibet vel adeo rudis anatomicus ex his intelliget. Nec enim mihi est propositum impræsentiarum, insistere vlterius in cōfutandis illorum nugis, qui quod delirant; vt pulchrè dictum sit, catholicum esse nolunt, vt de hoc nemo dubitet. Sed videamus quænam veterum hac de re sententia fuerit, quæ cùm nulli ex recentioribus hactenùs in mentem venerit, sententiam expendamus nostram.

Pistorij prima assertio de Microcosmo, ex veterum Philosophorum, Platonis scilicet & Aristotelis decretis & fundamentis collecta.

CAP. III.

VEterum Philosophorum, tum Platonis precipuè & Aristotelis sententia & opinio de Microcosmo, licet implicitè satis & obscurè intellectui humano competere videatur, in hoc tamen ne vllus aduertit. Hæc refert doctissimus Ioannes Picus Mirandulanus commẽto in cantilenam quandam Italicam quam scripsit Beniuenius ciuis Florentinus, secundùm mentẽ Platonicorum cap. xi. Scriue Platone nel Timæo „ che nel medesimo naso, & medesimi Elementi „ fabrico el factore del mundo l'anima mondana, „ & tutte l'altre anime rationali fra lequali come „ l'uniuersale anima del mundo e la piu perfecta, „ cosi la nostra & l'ultima & la manco perfecta, „ delle parti dellaquele noteremmõ vna sommaria diuisione. La natura del homo quasi vincolo „ & nodo del mõdo, e collocato nel grado mezzo, „ dello vniuerso, e come ogni mezzo participa de „ li estremi, cosi l'homo per diuerse sue parti con „ tutte le parti del mondo ha communione, & „ conuenientia per laqual cagione si suole chiamare Microcosmo, cioe piccol mõdo. Nel mondo prima vegiamo esse e la natura corporale, e „ questa, e duplice, vna eterne, che a la sostantia „

de

„ de cieli, l'altra coruttibile, quali ſono li elementi „ & ogni natura di queli compoſta, come le pietre metalli & ſimili coſe: poi ſono le piaule: e ſupra queſti nel terzo grado li animali bruti, nel „ quarto li animali rationali: nel quinto le mente „ angeliche, ſupra lequali e eſſo dio fonte & principio dogni eſſere creato. Similmente nel huomo ſono due corpi. Vno eterno chiamato da „ Platonici vehiculo celeſte, il quale da l'anima „ rationale è immediate viuificato, l'altro corruptibile noi veggiamo con gli occhi corporali „ compoſto di quatre elementi, poi e en luy la vegetatiua per laquale queſto corrotibile corpo ſi „ genera, ſi nutriſce & creſce ei quello eterno viue di vita perpetua. Tertio vie la parte ſenſitiua „ & motiua per laquale ha conuenientia con li „ animali irrationali. Quatto vie la parte rationale, quale e propria de l'homo & delli animali „ rationali, & da peripathetici e creduta eſſere „ l'vltima & la piu nobili parte del l'anima noſtra non oſtante che ſupra eſſe ſia la parte intellectuale & Angelica, per laquale l'huomo coſi „ conuiene con li angeli come per la parte ſenſitiua conuiene con le beſtie. El ſommo di queſta „ parte intellectiua le chi amano e Platonici nuita „ della anima, & viogliono ſia quella per laquale „ l'huomo immediante con dio ſi congiunge, & „ quaſi con lui conuiene, come per la parte negetatiua conuiene con le piante.

Ex quibus verbis quis non intelligit proportionem vtriuſque mundi ab anima ſeu ab eiuſdem facultatibus eſſe petendam? Per facultatem

tem enim negetatiuã Analogia respondet plantis, quemadmodum per sensitiuam & motiuam brutis animantibus, per rationalem Deo & Angelis fit homo similis. Solum hominem tum Plato, tum Aristoteles, tum Galenus Microcosmum appellarunt: at Microcosmum Neoterici nostri in massa corporea, tum nobis, tum belluis communi quæsiuisse non puduerunt. Vt horum ergo mentem aperiamus, fundaméti loco ponendum est, & statuendum, hominem, non quemuis aut homonymωs talem dictum, ex omnium philosophantium authoritate, hominis appellationẽ sortiri, sed suppositum aliquod ex animo & corpore constans intelligi, & adhuc magis propriè intellectum, qui cùm totius forma sit perfectissima & corporis ἐντελεχέια nomen hoc perfectissimum, sub lunæ concauo admirandum meretur. Quis enim sanæ mentis dixerit, corpus hocce fragile, caducum & patibile hominis qui ad similitudinem Dei factus est, appellationem mereri? Nemo sanè. An non vides, Medice, qui naturæ contemplator & æmulus es, hocce futile domicilium, à morborum, tanquam ab hostium incursantium agmine, incursari & labefactari? An quid vides animum pati idiopathicωs? Non enim in phrenitide aut monia, dũ furit homo, nondum stultescit in Melancholia hypochondriaca, quicquam afficitur intellectus, sed affecto hominis domicilio, animísque ergastulo, per consensum illum & conspirationem mutuam, quæ intercedit inter corpus & formam ipsius, patitur intellectus. Si senex, inquit Philosophus,

Plato in Timæo. Aristotel. 8. Physicor. cap. 3. text. 17. Galenus, 3. de vsu partium.

iuuenis oculos habeat, æquè bene iudicabit de coloribus ac iuuenis. Statuamus itaque intellectum humanum Microcosmum, in quo res omnes & mũdum ipsum collocemus, explicaturi demum qua proportione id fiat, & intelligendum sit. Mirum enim è tot medicis quod ne vlli ἀλήθειαν, summis degustarint labris. An non percipitis, ἀφυσικοὶ, quantum nobis inferatis dedecus, dum & pecudes, & animantia bruta, hominis titulo adornatis? An non feras hominis titulo & nomine adornatis, dũ Microcosmi vocabulum feris itidem tribuitis? dum analogiam quæ inter μακρὸν & μικρὸν κόσμον interiacet, in corporis massa inquiritis? Corpus enim vtriq; tum bruto tum rationali animanti est commune, partésque in quibus vestra κοσμικὰ inquiritis, ferè eædem. Aduertite igitur quantum nobis inferatis dedecus, & proportionem vestram alibi quærite. Sed obiiciet sciolus quidam, cùm homo corpus à brutis animantibus dissimile habeat quodammodo, & incedat recta facie, manibúsque donatus sit, si quidem

Os homini sublime dedit, cœlúmque tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Quid obstat collocare Microcosmum in corporis massa? Sed quæso, quære tibi simiam, hæc & manibus donata est, & plerumque recta incedit facie, homini parum dissimilis; hanc itaque Microcosmum statue.

Expli

Explicatio prioris assertionis, & eludicatio eorum quæ in præcedenti capite continentur.

CAP. IV.

VErùm nos parum facientes quæ à vulgo hominum sunt prodita, videamus vbinam Microcosmum nostrum inquirere liceat. Diximus antea in homine verè & propriè dicto, in intellectu scilicet, cōsistere Microcosmum, quod vt fiat paucis intelligite, & veritaté in ipsius Democriti puteo velut defossam, & è profundis labyrinthéisq; gurgitibus exertã, & in lucem prolatam explicemus. Ἐντελέχεια τ τῆς ἀνθρώπου κεφαλῆς anima intelligibilis seu intellectus, potentia omnia intelligibilia dicetur, ita vt quicquid sub intellectum è mundi machina cadit, aut intellectu comprehenditur, in homine existere dicatur, & en tuus μικρόκοσμος. Δυνάμει ἐστὶ τὰ νοητὰ ὁ νοῦς. ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν πρὶν ἂν μὴ νοῇ, inquit philosophus: intellectus est ipsa intelligibilis potentia, actu verò nihil est eorum antequam intelligat. Quid clarius lucidiúsue? Intellectus est ipsa intelligibilia: at mundus vniuersus est intelligibilis: ergo intellectus est mundus. Cōsequenter annectit δεῖ ἢ οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. Oportet auté in ipso nihil esse perinde ac in tabula rasa nihil est actu scriptũ. Intellectus humanus nudùs in huncce venit mundũ, vt notionibus rerum mundi intelligibilis inuestiretur. Et hæc est proportio quam requiret quilibet

Aristoteles 3. de Anima, cap. 4 text. 15.

εὐφιλόσοφις. Qualis namque proportio inter lapidem & ferrum, glycyrrhizam & aloëm: talis est certè proportio cordis & Solis, Saturni & lienis, hepatis & Iouis, &c. At proportio est notionum eorum quæ in mundo sunt cum intellectu, si quidem intellectui omnia quæcumque sunt, subijciuntur, & omnia per medias notiones apprehendit intellectus, potentia omnia intelligibilia existens. Huius dignitatem quis non admirabitur, cùm in hoc Microcosmo, & adinstar materiæ primæ, & adinstar formæ sese habeat? Materiæ primæ, dum in omnia intelligibilia transmutari videtur. Formæ dum intelligibilia phantasmata ita adumbrat, vt reapse à rebus intelligibilibus differre non videatur. Hæcque videtur esse analogia ad propositum & institutum nostrum requirenda: subiecti enim & attributi (vel potiùs rei & speciei) qualis est proportio, talis est μακροῦ & μικροῦ κόσμου. Intellectus enim, vt res intelligibiles adinstar attributi & subiecti, necnon adinstar rei & speciei, & reputari & censeri possunt, nec vlla maior existit proportio.

Quid sit Microcosmus, piè sanctéque explicatur, Apologia Medicorum.

CAP. V.

HIc diligenter attendendum est, non quemuis hominem intellectu donatum, dicendum esse Microcosmũ. Requiritur enim, vt potentia

tentia intellectus in actum transeat, & sese ad contemplationem mundi intelligibilis euehat, Deúmque O.M. mundi vtriusque Architectum rimetur, & sic erit verè Microcosmos. Deus quippe in sese omnia continet, & mundũ ipsum, & hac ratione nobilior Microcosmos Macrocosmo cẽsendus est: qui enim Deũ admirabilem cõprehendit, ita vt in Deum videatur trãsmutari, an non magis quàm mundus comprehendit? (Sed hîc opus est explicationis iudicio syncero) sic Psalmo Prophetæ Dauidis octauo de homine dicitur: *Gloria ipsum ornasti, vt sit adinstar Dei.* Euchamus ergo intellectus nostros ad Deum, inquirentes rerum quotquot in mũdo naturam: dicitur enim ὁ νοῦς ἐντελεχεία ἐστὶν πρὶν ἂν μὴ νοῆ, Procul hinc procul este, barbari ἀφύσικοι, ignarique homines, qui rerum naturas penitus ignoratis, & in vestri corporis anatome cæcutitis ἀμικρόκοσμοι, qui nec Deum verè nostis: nec enim Deum verè quis vnquam nouerit, ni rerũ sublunarium & Physicæ fuerit peritus, & in anatome exercitatus, si quidem, vt ait Apostolus, Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε, Id est, quod notum est, est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit. Abeant item illi Iatromastyges, qui Medicos ἀθέους, & irreligiosos dicunt, naturæ saltem famulos & administros nuncupantes. Non vident certè quanta sit partium compages & structura, anatomiæ ignari. Quid magis rerum naturalium speculatione & anatome homines ad Deum euehit? Inuisibilia namque illius per ea quæ facta sunt

Paul. ad Rom. in. cap. 1. 20.

conſpicua intelliguntur. Hinc Galenus dum anatomem corporis perſequitur, exclamat diuinitatem quamdam eſſe (quam ſub naturæ nomine complectitur) ex partium tanta varietate, connexione & vſu admirabili. Inſpectionem, ait, ſequitur artis naturæ admiratio, vt meritò medicis cauſa quædam efficiens noſtri neceſſaria & non fortuita eſſe videatur. Nec ſolum Deum eſſe ſcimus & ex anatome nouimus, ſed ex tanta & multiplici ſtirpium ſobole ſpeciéque multiformi. Quis Rhabarbaro vt bilem, quis Agarico vt pituitã, quis Helleboro vt te veſanũ purgaret dedit, ni Deus dederit? Nec ſolùm Deum eſſe ſcimus, vt impij, ſed Deum punientem ſcelera, ex morborum velut ex hoſtium incurſantium agmine, vel iræ ſupremæ flagello, & hæc contemplatio Medicos non ἀθεοὺς, ſed Theologos reddit, vt dum vidẽt corporis noſtri partes, medicamentorum formas & facultates proſpiciunt, Deum eſſe exiſtiment, dúmque morborum cauſas & euentus rimantur, vitam immutent, meliorem meditantes. Nolite igitur Medicis hæc prophana obiicere impij, ἀφυσικοὶ, ἀμικρόκοσμοι, ſed inſcitiãm veſtram confiteamini, arcanorum diuinitatis ignari, Medicóſque non ἀθεὺς, ſed Theologos in poſterum nominetis. Hactenus prima aſſertio, quæ intellectum Microcoſmum facit, quæ cùm veritati penitus innitatur, hanc quilibet admittet εὐφιλόσοφος, ſupereſt vltima aſſertio noſtra, quam, vt anatomico dignam, quilibet, qui rem propius inueſtigabit, amplectetur.

Piſtorij

Pistorij de Microcosmo secunda Assertio, elegans & Anatomico digna expositio infimæ regionis.

CAPVT VI.

DIximus antea intellectum, statuamus nunc intellectum vnà cum domicilio suo Microcosmum esse, & inquiramus quæcumque in mundo sunt, in capitis solius cauitate & capacitate: si quidem homo capite intellectu informato à reliquis animantibus differre videtur. Diuidebant veteres mundum in tres partes, infimam, mediam, & supremam regiones, diuidamus & nos caput vniuersum in tres partes. Infimam seu Elementarem, quæ à basi capitis ad tertij ventriculi infimum porrigitur. Mediam quæ ab infimo tertij ventriculi loco ad eiusdem supremum extenditur, totum continens tertium ventriculum, supremam quæ à basi superiorum ventriculorum, ad capitis partem extimam, carnium videlicet, propagatur. In infima regione Elementa tum elementata continentur, tam perfecta quàm imperfecta. Elementa hæc sunt: Ignem habes in odoratu, si quidem odoratui datum est igneum instrumentum, odor quippe exhalatio quædã est fumosa & ignea. Aër est in auribus, auditui nãque inseruit aëreum instrumentum. Elementum aquæ reperias in oculis, quibus aqueũ & pellucidũ datum est: vt & gustui tactuíque terrenum organũ: gustus enim veluti tactus

quidam est & in tactu, terræ elementum repræsentatur. Vel ex summo vesatio terrę caluariam, aquæ duram cerebri membranam, aëri tenuem & igni substantiam cerebri assimilato, & expende rerum opificis solertiam, qui vt inter terram & ignem, quoniam natura à se inuicem maximè absunt, aquā & aërē collocauit: ita in medio caluariæ & cerebri (quòd substantiis longè discrepant) vtrasque membranas interiecit. Metalla itidem inuenias in ductu peluis, per quem scilicet excernuntur excrementa. Per hunc enim ductum humorem nigrum sæpe excernimus, ferro, viribus & colore æmulum, humorem itidem æruginosum cupro similem, flauum auro, pallidum & minus cōpactum stanno, album & mobilem conglobatum argēto viuo, liuidum plumbo, leucophæum æri: & hîc habes septem metallorum genera, ex bile & pituita tanquam ex sulphure & mercurio compacta. Metallica, nec nō quilibet ex his obseruare poterit: lapides item concretos, in substantia cerebri viderūt Medici, quemadmodum multi quotidie obseruantur in pulmonibus, corde, cystide fellea, vt & in aliis corporis nostri partibus. Mare refert vena insignis in cerebro Torcular dicta, quæ sanguinem ad totius cerebri vitam defert, idque beneficio riuulorum, quos referunt venulæ illæ capillares à trunco quoquouersum reflexæ in cerebrum. Vrbes apparent in specubus cerebri, in quibus tot atria, tot ventriculi domos denotant: ductus autem ventriculorum amœnas huiusce mundi peregrinationes per vana itinera designant. Meteora

Vesalius lib 7. de human. corpor. fabrica cap. 3.

Metallorum demonstratio.

Maris, fluuiorū, vrbium, locorumque itinerum.

Meteorum, item demonstratio.

teora nec non reperias rorem, pruinam, nebulã, nubes, ventos, pluuiam, niuem, grandinem, tonitru, fulmen, cometas. Rorem habes in oculis lacrymantibus: lacrymæ enim rorem perbellè referunt: vt & pruinam in illo rore conglobato, seu mauis in lacrymis condensatis in maiori oculi cautho plerumque conspicuis. Nebulam referunt vapores illi tetri, causa plerumque caliginis & obscurati visus. Nubes apparent in cerebri anfractibus & circumuolutionibus, neque, opinor, aptius quàm nubibus, quas rudes pictorũ discipuli, aut in scholis pueri delineare solent, conferri posse. Ventos designãt aurium tinnitus. Pluuiam denotant catharri coryzæ. Nix est in pituita illa quam frigidiusculo temperamento expuunt instar lanæ captę. Grãdinem habes, dum eiecta per os petuita, hanc instar grandinis conglobari vides: vt & tonitru in sternutamento, fulgur in coruscatione oculorum, quæ vel noctu in tenebris, ob oculos obuersatur, vel sternutamentum, ac fulgur tonitru, præcedit. Nemo enim est qui non ante sternutamentum offuscari manifestè videat oculos, & sibi primò splendescere. Flumen referunt oculi illi venefici, quibus alios effascinant, interimúntque in Triballis & Illysis familiæ quædã, vt & apud Aphricanos, vbi quarumdam familiarum laudatione intereunt probata, arescunt arbores, emoriuntur infantes. Cometas Tubercula illa tum ebriorum, tum lue venerea infectorum: reliqua meteora ignita, vt est lancea, draco volans, stella cadens, ignis perpendicularis, demonstrabunt tibi tum frontis &

Vesalius lib. 7. de humani corporis fabrica. cap. 4.

Plinius li. 7 naturalis historię cap. 2.

faciei rubores, tum Eryſipelata, tum herpetes, prout formam vel lanceæ, vel draconis & ſic de cæteris referent. Syluas & nemora in pilis barbæ vel capitis, animantia bruta in pediculis, vt & aliis quæ in cerebro plerumque generantur inſectis, quærito. A quibuſdam viſi ſunt in cerebro ſcorpij, ſerpentes, lumbrici,

Auicen. lib. 3. tracta. 2. c. 1. Hollerius lib. 1. ſuæ praxeos, cap 1.

Sunt qui cùm clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas.

Et mihi apud Rauracos in Heluetia, aperiēti humanū crāniū, viſę ſunt ex ſphacelo cerebri turbę animalculorū, quorum alia canum, alia lupulorum, alia felium, alia leopardulorum formam imitari videbantur, vt & pleræque aliæ formæ, quæ nec exprimi nec dici poſſunt & debent, quod imperiti, & illi qui omnia ſenſibus denegant, vix crediderint. Et vt ex ſuperioribus annectam (vbi de intellectu ſermo fuit) víſne omnigeneris arbores & animantia, melancholicos & efferos antiquæ ſobolis mores legito. Laurum tibi repræſentat Daphne, hæc non in laurum eſt mutata, ſed ſe laurum putabat, vt & Narciſſus Narciſſum, & ſic de reliquis, de quibus Ouid. abundè in Metamorphoſi. Sic Lycaon in lupum, alij in canes, alij in ceruos, alij in Elephātas mutati ſunt. Hinc exurgunt noui morbi,

Ouid. xv. metamorphoſ.

Sympathia quædam mūdi vtriuſque.

λυκανθρωπία, κυνανθρωπία, ἐλεφανθρωπία, ἐλαφανθρωπία. Sed, ne longiùs excurram, pergamus ad reliqua:

Ex

Explicatur quænam sit æthерea Microcosmi regio, & singula in illa regione contenta enodantur.

CAP. VII.

HActenus satis de infima regione Elementari dictum est, veniamus ad mediam, ęthеream scilicet, vbi quærendum quæcumque in illa regione sese offerunt conspicua. Quærisne planetas? en planetæ, tibi præstò sunt. Solem habes calidum innatum cerebri, Lunam humidum ipsius primigenium. Ex his duobus stat Microcosmus, vt per solem & lunam stat Macrocosmus. Ex calido siquidem innato & humido primigenio viuimus, valemus, fouemur, recreamur, quemadmodum ex solis vegeto calore & lunæ suaui humore, quæcumque in hac infima regione subsistunt, viuunt, augétur, generantur, recreantur. Sol adinstar maris, Luna adinstar fęmellæ, ex quibus quæcunque sunt, quis consistere, pullulare, oriri, neget? sol ex se lucem & calorem promiscuè fundit: calidum innatum tum calefacit, siquidem hoc ablato interit animal (quia mors extinctio caloris) tum pleniùs irradiat & illuminat corpus. Per id lumen defertur ad oculos, & beneficio huius caloris cernit anima per oculos vti per fenestras. Iupiter est in temperato & laudabili sanguine cerebri symmetriã conseruante. Saturnus in Melancholia Maniaca, Planetarũ demonstratio.

uiaca. Mars in æstuāte phreneticorū bile. Venus in pituita viscida & crassā, cuius veneficio fœmineū & imbelle redditur animal. Mercurius in ore & lingua, vel potius in septē oculorū tunicis suo inquirito planetas ordine. At cùm planetarū motus varius sit, quorum alij citiùs, alij tardiùs moueātur, quis non videat hos humores diuersis moueri motibus ex Sorani Ephesij sententia, Lunámque (quam sub nomine humidi primigenij expressimus) tum nouam, tum veterem, tum semiplenam apparere? Nouilunium egregiè refert humidum primigenium, dum senescēte, vel morbo confecto animali, exsiccatur & absorbetur, à calido tum suo, tum alieno. Quadrantem eiusdem refert consistens ætas, in qua mediocriter sese habet humidum: vt plenilunium in iuuentute & pueritia repræsentatur, in quā abundat humidum vegetum: Infantia referente postremum eiusdem quadrantem. In hac quippe non abundat humidum illud laudabile, vt in iuuentute, nec deficit, vt in senectute: sed medio se habet modo. Sphæram itidem reperias & in ea primo zodiacum circulum intra primos & vltimum ventriculos. In primis enim tertio quartóque cerebri ventriculis continetur calidum, & in hoc spatio mouetur, ac Sol in Zodiaco. Sol eclypticam lineam nō excedit: sic calidum innatum per spiritus animales exportatum, mediam ventriculorum longitudinem non transcurrit. Sed ad hæc obijciet nobis sciolus quidam, dicēs: Nónne calidum innatum per spiritus animales exportatū in toto & qualibet parte cerebri continetur,

Diuersæ lunæ facies demōstrantur.

Mundi spæræ demonstratio.

tinetur, quid ergo opus asserere calidum esse in solo ductu ventriculorum? Ad hoc respódeo verum esse, quòd calidum innatum vbique sit, sed cum calidũ animale influens à quo natiuum refocillatur & restauratur, in ventriculis primò & generetur & moueatur, rationi fuerit consonum id ventriculorũ ductui primo alligare. In Zodiaco necnõ sese duodecim dant cõspicua signa: Aries nimirũ, Taurus, Gemini, Cãcer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Aries est implexus choroidis venis, si quidem Galeno teste implexus venis continetur sanguis temperatior, nec adeo feruidus ac in arteriis eiusdem, vbi locatur Taurus. In Ariete Sol temperatus est: quemadmodum in Tauro intensior est & calidior. In processibus mãmillaribus locãtur Gemini: in his enim veluti in signo Geminorum geminatur calor, sine quo odoratus nec esset, nec fieret. Cancer est in fornice: nam vt Cãcer æstatis principium habetur: sic fornix initium tertij ventriculi existimatur. Leo in Conario locandus venit, si quidem vt in Leone æstatis calor intenditur: sic Conario videtur vniri & intendi calidum. Quippe vsus huius est colligare vasa, qua ratione vnito sanguine vasorũ vnitur calor, & intẽditur iuxta vulgatum illud, Virtus vnita maior est seipsa dispersa. Virginem referunt nates aut vulua tertij ventriculi; virginis enim vuluam referunt, & hic est finis tertij ventriculi, quemadmodum in virgine exitus & finis æstatis est. Libra apparet in vermiformi processu, qui cerebelli exordium est, teste Reado Colombo,

Galenus li. de inæquali intemperie cap. 6.

Vesalius lib. 7 de humani corporis fabrica, cap. 8.

Realdus Colũbus li. 8. de re Anatomica cap. 1.

Colūbus loco priùs citato.

bo, loco prius citato & etiam libra Autumnum inchoat. Scorpium ductus ille Choana aut Peluis ductus egregiè demonstrabit: nam ſicuti Scorpius pungit aculeo & cauda, ſic per Choanam ex humoribus acribus defluentibus in fauces pungimur. Sagittarius in ductu, qui à tertio ad quartum ventriculum repit, repræſentatur, per hunc namque ductum tamquam per Sagittam emittitur ſpiritus animalis in quartum. Capricornus exiſtit in quarto ventriculo, quippe inibi exilit & trepidat ſpiritus, quòd non tantoperè ac in aliis exhalat, propter huius parietum denſitatem, inibíque adeò firmiter & ſpiritus & calor vniuntur, vt ad memoriam ad inſtar capricorni exiliāt impreſſa phantaſmata. Aquarius in principio ſpinalis medullæ latitat, à principio quippe per neruos irrigatur tota ſpinalis medulla, vt & corpus vniuerſum, per neruos etenim defluit tum ſenſus, tum motus, vt ex aquario defluunt imbres. Piſces referunt nerui deſcendentes à principio ſpinalis medullæ. Et hic erit Zodiaci noſtri finis. Æquinoctialem circulum conſtituit aries noſter cum libra, reſpondentes Æquinoctiali circulo. Vt enim in μακροκόσμου Æquinoctiali dies adæquātur noctibus; ſic dum ſol noſter in Plexu Chroroide præſens eſt (id eſt magis præſens) remota omni morboſa conſtitutione, vt & in ſpinalis medullæ principio, adæquantur temperies, & conſequenter calor & frigus. Calor autem diei, frigus nocti reſpondet. Tropicum Cancri deſcribit circulus in fornice imaginarius. In cancro

dies

dies sunt longissimi: sic dum sol pleniùs irradiat fornicem, videntur dies longiores, quia tunc temporis sol magis perpendiculariter irradiat, & sic in medio Microcosmi vigente soli vita longior fit, quam non ineptè diei assimilauerit quispiam. Tropicum Capricorni describit alter circulus in quarto ventriculo imaginarius: ibi enim morientibus hominibus non amplius suppetunt spiritus, qui neruis & sensum & motum suggerant, hinc Mors quæ propriissimè nocti assimilatur, sicque fiunt noctes longiores diebus. Tempestates anni necnon ex his intelligas, Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem, quas Adolescentiæ, iuuentuti, constanti mediæ, & senectuti non ineptè contuleris. Duo Coluri, quorum alter solstitia, alter æquinoctia distinguit, subintelligendi sunt trāsuersaliter tum Solstitia tum Æquinoctia resecare. Polos habes in duræ matris ligamentis quibus cranio alligatur cerebrum, & in spinali medulla: per hæc enim corpora velut per puncta defertur cerebrū & fulcitur, alioquin ad motum foret ineptum, si quidē vi propria ima capitis peteret, nusquam supera. Potares circulos ex his intelligas. Meridianum describit linea illa in cerebri superficie existens, qua cerebrum in partem dextram & sinistram dirimitur. Horizontem refert linea à sutura coronali intellecta & circino per ossa temporum ad occiput ducta, caput diuidens in partem pilis contectam & non contectam. In substātia cerebri callosa reperias viam lacteam. Quemadmodum enim viam lacteam cœli partem

tem minus Diaphanam constituum Astrologi: sic Medicis callasa cerebri substantia reliqua totius nobilissimi visceris densior & minus diaphana existit, vnde vetustissimi Græcorum hanc partem τυλλοειδῆ appellarunt. Et hîc repræsentatur firmamentum stellarum fixarum sedes, tum etiam in cerebri substantia exteriori, cultro leuiter adacta, punctis sanguineis, stellas egregiè inferentibus intertexta. Hæc siquidem puncta stellas tum pelluciditate, tum numero referre vidētur, in quibus astra, si paulò fueris diligēs, cōnotabis. Nam quemadmodū stellę lumen suum à sole mutuantur: sic puncta ista lumen suum à calido innato cerebri, per spiritus & sanguinem exportato, mutuantur. Hæc subricūda & pellucida, instar stellarum, quæ noctu in firmamento lucent, fulgentque, existunt. Primū mobile designabit facultas illa pulsifica in cerebri mole latitās, per quam attollitur, deprimitur cerebrum. Et hæc de media Microcosmi regione dicta sint satis, veniamus ad supremam & vltimam.

Vesal. lib. 7. de humani corpor. fabrica cap. 5. idem eodem lib. cap. 4.

Supremæ regionis Analogia & similitudo in Microcosmo, expositione dilucida reseratur.

CAP. VIII.

IN suprema diximus consistere intelligentias, quibus intellectus vtitur, & hæ sunt sensus externus & communis. Si quippe sunt, diuinæ men

mentis per totam cerebri molem infusæ, ἄγγελοι & administri. In Macrocosmo Deus Angelorum opera vtitur: sic anima nostra à Deo O.M. creata sensibus illis tamquam administris vtitur. Quid quæso aptiùs diuinitatem in Microcosmo referet ipsa anima rationali? Hæc ex Deo oriunda diuina tota & admirabilis est, quæ certè principium & originem suam persentit, genitori penitus addicta. Licet enim peccati fiat particeps, id non ipsi tamen, sed corpori, in quod immersa est, referendum venit: hæc siquidem dolet & à corporis inquinamento verè abhorret, sese ad originem suam euehens, plangida & pœnitens tota. Quî quæso fieri potest & cœno & & limo infusæ margaritæ & vniones non conspurcentur? Quî fiet vt anima in huncce totius spurcitiæ & turpitudinis carcerem & ergastulum (corpus intelligo) intrusa non conquinetur. Æquè re vera est possibile ac si dicas ἀδύνατον, Quod de anima diximus id de renatorum anima intelligendum est, hæc siquidem sui conscia ad Deum sese euehit, & hunc contemplatur, languida tota in hacce miseriarum valle. Et hæc Deum verè in Microcosmo refert, quandoquidē pura existens, Dei fit velut appendix (absit tamen vt hanc vsquam Deum statuamus) tota toti Microcosmo infusa verè eumdem replens. In essentia Dei considerantur tres personæ: sic in humano intellectu considerantur tum imaginatio, tum Iudicium, tum Memoria, quarum vt essentia vna & eadem est, & subiecto non differunt, ratione tamen distinguuntur. Et vt paucis

Plotinus Ennead. 1. lib 1. cap. ix. & xij.

absoluamus huncce nostrum tractum: figura mundi rotunda & sphærica est: sic Microcosmus rotundus, & sphæricus est. Quis non videat caput humanũ globi adinstar, mundi figuram referens? In hoc igitur Microcosmo, in quo & mundi externa facies sphærica apparet, & interna latitat, subsistamus huicce nostro tractatui finem facientes. Interea ad vberiorem eorum, quæ diximus, inuestigationem descendentes, breuem mundi vtriusque collationem in tabella quasi exponamus. Ex pluribus si quidem rationum auctoritatibus in medium allatis, id quod volumus fiet conspicuum.

COL

COLLATIO VTRIVSQVE MVNDI.

ELEMENTA.

In microcosmo	*In macrocosmo.*
	respondet.
Caluaria. Gustus, tactus.	TERRÆ.
Dura mater. Oculi.	AQVÆ.
Pia mater. Aures.	AERI.
Cerebrum. Olfactus.	IGNI.

ELEMENTATA.

In microcosmo.	*In macrocosmo.*
	respondet.
Torcular	MARI.
venulæ.	
Sella sphenoides & reliqua cerebri ossa.	FLVMINIBVS. NAVIBVS.

Neruí.	Funibus nauium.
Cranium.	Galeæ.
Ventriculi cerebri.	Ciuitatibus domibus.
Spiritus animales.	Ciuibus.
	Variis huiusce mundi
Ductus vētriculorū.	itineribus.
Pili capitis.	Syluis & nemoribus.
Pediculi & vermes.	Animantibus feris.
Musculi separati dētes.	
	Piscibus.
Auris ductus.	Machinis & tormentis bellicis.
Tympanum auris.	Labyrintho.
Processus stylocidij.	Tympano militari.
Malleus, stapes, in-	Lanceæ.
cus.	Malleo, stapedi, incudi.
In microcosmo.	*In macrocosmo.*
Quinque sensus.	Magnatibus.
Sensus communis.	Imperatori.
Sensoria & ipsa ἀισθητήρια.	Clientibus & fæci plebeæ.

METALLA.

In microcosmo	*In macrocosmo. respondet.*
Humor melancholicus.	Ferro.
Bilis æruginosa.	Aëri.
Bilis crocea.	Auro.
Bilis vitellina.	Cupro.
Pituita vitrea.	Stanno.

Pituita

Pituita dulcis.	Hydraig.
Dilutus melãcholicus humor.	Plumbo.

In microcosmo	*In Macrocosmo.*
respondent.	
Caliculi in cerebro geniti.	Silicibus & saxis.
Humor cryſtallinus.	Cryſtallo, adamãti.
Læſius oculorum color.	Smaragdo.
Aurei oculorum radij.	Chryſolito.
Pupillæ effectus phlegmonoſus.	Hyacinthis, rubei corallis.
Venulæ à ſuo cerebro ſeparatæ.	Corallis albis.
Variegatio interioris vueæ.	Iaſpidi.
Robur&cõſtãtia corneę	Marmori.
Humor vueus.	Lapidi lydio.

PLANTÆ.

In microcoſmo	*In macrocoſmo.*
Proceſſus cerebri papillares.	Ordinibus & ſatyriis.
Glans pituitaria.	Bulbiferis omnibus plantis.
Venarum & arteriarũ ramoſi proceſſus.	Arboribus, ramoſiſque, vt vacant, plantis.
Tuberoſitates ipſius cerebri.	Plantis omnibus tuberoſis.

In microcoſmo.	*In macrocoſmo.*
	reſpondent.
Lachrymæ	Rori.
Lachrymæ condenſatæ quod in multis vt ceruis euenit, vti refert Amatus Luſitanus de lapide Bezaar.	Grandini.
Vapores caliginoſi.	Nebulis.
Anfractus cerebri.	Nubibus.
Iris oculorum.	Iridi cœleſti.

In microcoſmo.	*In macrocoſmo.*
Aurium tinnitus.	Ventis.
Catharri, coryſæ.	Pluuiæ.
Pituita inſtar lanæ carptæ.	Niui.
Sternutatio	Tonitrui.
oculorum nocturnus ſplendor	Fulguri.
Excandeſcendentes oculi.	Fulmini.
Tubercula in ebriis & infectis lue venerea.	Cometis.
Herpetes, Eryſipelata faciei, pro varia ipſorum forma.	Reliquis cognitis meteoris, qualia ſunt lancea, draco volans ſtellæ cadens, &c.

Tremor

Tremor capitis.	Terræ motui.
Labiorum ſciſſuræ.	Chaſmati.

Tempeſtates Anni.

In microcoſmo. *In macrocoſmo.*

reſpondet.

Adoleſcentia..	Veri.
Iuuentus.	Æſtati.
Conſtans media.	Autumno.
Senectus.	Hyemi.

De regione Aetherea & cœleſti.

TOta Sphæra cœleſtis nouem conſtat ſphæris, quarum quælibet exterior interiorem ſphæricè & orbiculariter circundat; ſic in cerebro ſunt ſphæræ ſeptem planetarum, in tunicis oculorum conſpicuæ. Octaua ſphæra eſt in calloſa cerebri ſubſtantia. Primum mobile eſt in vi illa pulſifua latitante in ipſius cerebri parenergmate.

In microcoſmo. *In macrocoſmo.*

reſpondet.

Adnata tunica,	Cœlo Saturni.
Cornea tunica.	Cœlo Iouis.

Vuea tunica.	Spheræ Martis.
Retiformis tunica.	Cœlo Solis.
Aragnoides tunica.	Cœlo Veneris.
Ciliaris tunica.	Speræ Mercurij.
Cryſtalloides tunica.	Spheræ Lunæ.

Alio modo effectiuè demonſtrantur Planetæ. Sic

In microcoſmo	*In macrocoſmo.*
reſpondet.	
Melancholia maniaca.	Saturno.
Sãguis cerebriſymmetriam conſeruans.	Ioui.
Phreneticorum æſtuans bilis.	Marti.
Calidũ innatum cerebri.	Soli.
Naturalis pituita dimidio cocta.	Veneri.
Os & lingua.	Mercurio.
Humidum primigeniũ.	Lunæ.

Lunæ diuerſæ facies.

In microcoſmo	*In macrocoſmo.*
reſpondet.	
Humidum primigenium ſeneſcente animali.	Nouilunio.
Humidum in cõſtanti ætate.	Primæ lunæ quadraturæ.

Humi

Humidum in iuuentute.	Plenilunio,
Humidum in infantia.	Postremo quadrāti.
Falx qua dirimitur cerebrum.	Lunæ falcatæ.

In octaua sphæra notantur stellæ & astra. Sic

In microcosmo *In macrocosmo.*

respondet.

Exterior substātia cerebri, cultro leuiter adacta.	Octauæ Sphæræ.

In microcosmo.	*In macrocosmo.*
Puncta sanguinea.	Stellis & Astris.
Callosa cerebri substantia.	Viæ lacteæ.

Sphæra mundi demonstratio.

In macrocosmo. *In microcosmo.*

respondet.

Æquinoctialis.	Lineæ imaginariæ plexu chorocide ad vermiformem processum.
Zodiacus.	Ductui vētriculorū.

Colurus ſolſtitiorum.	Lineæ imaginariæ à fornice ad extremitatem quanti ventriculi, diuidẽdo Æquinoctialem in duo æqualia.
Colurus æquinoctiorum.	Lineæ à plexu choreide ad vermiformẽ proceſſum diuidendo Æquinoctialem in duo æqualia.
Meridianus.	Lineæ dirimenti cerebrum in partem dextram & ſiniſtram.
Horizon.	Lineæ dirimenti caput in partem pilis contectam, & non contectã.
Tropicus Cancri.	Lineæ tranſeunti per principiũ Fornicis diuidenti coluros in partes inæquales.
Tropicus Capricorni.	Lineæ dirimenti coluros in partes inæquales tranſeunti per principium quarti ventriculi.
Circulus Arcticus.	Lineæ deſcriptio à polis Zodiaci circa ligamenta quibus cranio adalligatur cerebrum.
Circulus Antarcticus.	Lineæ deſcriptæ à polis Zodiaci circa principiũ ſpinalis medullæ.

Polus

Polus Septentrionalis.	Pericranio.
Polus Auftralis.	Spinali medullæ.

In macròcofmo.	*In micrecofmo.*
Septem climata.	Septẽ nemorũ paribus.
Zona torrida.	Phrenetidi.
Zonæ temperatæ.	Bonę cerebri tẽperaturę.
Zonæ gelidæ.	Catalepfia lethargo.

Zodiaci demonftratio.

In microcofmo.	*In macrocofmo.*
refpondent.	
Venulæ plex⁹ choroidis.	Arieti.
Arteriæ eiufdem.	Tauro.
Proceffus mammillares.	Geminis.
Fornix.	Cancro.
Conarium.	Leoni.
Vulua 3. ventriculi.	Virgini.
Vermiformis proceffus.	Libræ.
Choana.	Scorpio.
Ductus communes 3. & quarti ventriculorum.	Sagittario.
Quarti vẽtriculi fpiritus	Capricorno.
Principium fpinalis medullæ.	Aquario.
Nerui defcẽdẽtes à principio fpinalis medullæ.	Pifcibus.

Moti

Motiuum Sphararum demonstratio.

In microcoſmo	*In macrocoſmo.*
	reſpondet.
Facultas pulſifica.	Primo mobili.
Motus ſpirituum animalium intra ventriculos.	Motui Planetarum naturali.
Diaſtole & ſyſtole.	Motui primi mobilis.
Conuulſiones epilepticæ.	Motui trepidationis octauæ ſphærę.

De Regione ſupracœleſti.

In microcoſmo.	*In macrocoſmo.*
	reſpondet.
Vacuum illud intra membranas & cerebrum contentum per ſpiritus concalfactum.	Cœlo Empyreo.
Senſus omnes.	Angelis & intelligentiis.
Imaginatio, Iudicium, Memoria.	Beatæ & indiuiduæ Trinitati.
Anima rationalis.	Deo.

FINIS.

IOAN

IOANNIS PISTORII
D. MED.

PELOPS REVIVISCENS,

Seu Libellus, de Nobilitate & excellentia Cerebri.

CEREBRVM esse ratiocinatricis facultatis sedem rectè Medici statuerunt, & Galenus libro octauo de Platonis & Hippocratis placitis animæ sedem constituit, & ita probat. Vbi est origo neruorum, ibi etiam est animæ principatus, quæ propositio tum Philosophis, tum Medicis conceditur. Altera quasi eius assumptio, talis est. Cerebrum est origo neruorum;& hæc Galenus. Cerebri enim connexionem & intuens & animaduertens, iudicabis proculdubio reliquas omnes corporis nostri principes partes in gratiam cerebri esse creatas: omnes enim cerebro famulantur & cor ipsum, in hoc quamobrem à Galeno & Aristotele dissentimus. Aristoteles si quidem omnia propter cor esse creata contendit, & animæ sedem in corde locat. Galenus verò non animæ sedem cor, sed cerebum esse conten- Aristoteles lib. 3. de partib. Animalium c. 4.

contendit, at facultatem vitalem cordi primo insidere dein & reliquis partibus communicari asserit. Sed, ô doctissime, inter philosophos Aristoteles, an adeò cæcutis, vt tam nobile viscus refrigerij loco factum esse censeas, quo scilicet cordis ferociores æstus compescat. Cur tot specus tot atria, circumuolutiones, tot nerui venæ & arteriæ? An non sufficiebant pulmones qui tuum cordi refrigerium prȩberent, cum & cordi incumbant, & aërem multo cerebro frigidiorem attrahant? Sed in hoc parum anatomicus videris, qui nusquam serio corporis sectionem prosecutus fueris. In hoc & doctius & elegantius sentit Galenus, quippe qui cerebro suam tribuit nobilitatem, non tamen qualem nos hic desideramus perfectam, & omni numero absolutam, sed mutilam & mancam. Verùm quomodo Pelopis præceptoris adeò immemor (doctissime Galene) illi & tibi contradicis? vis animæ sedem esse in cerebro: nec tamen vis instrumenta, per quæ operatur anima, esse in cerebro, ridésque, temerè tamen, præceptorem tuum qui vasorum originem cerebro inesse asseuerabat. Tibi adhuc & contradicis quod animam inesse cerebro, vitalem vero facultatem cordi existimes. An ita diuidis & dirimis facultates à subiecto in quo insunt. Certè cùm anima sit qua viuimus, mouemur, ibi erit facultas vbi anima est: sed secundum te anima est in cerebro. Fortasse respondebunt qui à tuis stant partibus, animæ rationalis sedem esse cerebrum, non autem aliarum. Sed quid absurdiùs? Anima in homine vna est actu

indiui

indiuisibilis: nam aliter in vna parte vegetaret nec moueretur: in altera moueretur nec vegetaret:in altera ratiocinaretur nec sentiret & moueretur. Si alicubi statuas animæ meram essentiam esse, & alibi illius facultates, certè monstrum erit anima, cùm suis denudata sit facultatibus, nec amplius merebitur animæ nomen. Si obiicias animam esse totam in toto & totam in qualibet parte, & sic non dirimi animam à suis facultatibus, pulchrè, sed non cautè loqueris, quandoquidem hoc pacto facultates tuas in singulis corporis partibus confusas nec distinctas reperies, nec sedem hanc vel illam statues. Si dicas quòd anima suas exerit facultates primò, in subiecto apto nato ad operandum quemadmodum vitalis in corde, naturalis in hepate,cur non potius in cerebro subiecto apto nato ad quasuis operationes facultatum edendas, id apparebit. Non est quod dicas facultates sese mutuo interturbaturas nec sedis magnitudinem exposcas. Cerebrum enim & satis amplum, nec facultatum essentia talis vt sibi impedimento sit. Et insuper cerebri structura meretur; cùm cerebrum adeò eleganter textum & adornatum sit. Quod autem instrumenta tuæ facultatis vitalis & naturalis sint in cerebro, patet ex plexu choroide & retiformi.Quilibet enim vel tantilli iudicij fatebitur arterias & venas potiori numero quàm aut in corde aut in hepate contineri in cerebro. Nec moror magnitudinem venarum & arteriarum quam obiicit Galenus. Nam inquit cùm in cerebro nerui sint maiores, quàm in

Li.de hip. poc.& pla ton. decretis. 6.

in reliquo corpore, cur non & venæ & arteriæ fuiſſent in tali principio maiores. Sed talem obiectionem diluemus, ſi dixerimus diſparem venarum, arteriarum & neruorum rationem eſſe. Nerui ſiquidem propter corporis ſui firmitatem & ſoliditatem in principio magni eſſe debuerunt, ne dum efficiunt motum, læderentur & rumperentur in principio. Quod in venis & arteriis non debuit quandoquidem ad aliud ordinatæ ſunt & deſtinatæ quàm ad motum. Venæ deferunt ſanguinem ad corporis partes alendas. Arteriæ ſpiritus vitalis & arterioſi ſanguinis, ſunt delatrices & baiulæ. Dubitat mehercule nullus vt exiſtimo attrahens in principio validius eſſe debere ne dum attrahit, rumpatur & laceretur. A principio enim tractionis exordium & initium. Præterea & propter ſenſum & motum ſimul id factum eſſe videtur, commodiùs ſiquidem fuit cum & motu & ſenſu continuo indigeamus neruos in origine & radicatione craſſos eſſe & magnos vt à radice neruorũ illicò ſuppeteret ſpirituum copia ad ſenſum & motum. Contra in arteriis & venis quia vaſa ſunt caua, ſi principium foret magnum perpetua laborarent obſtructione vaſa illa, & ita natura nec ſagax & prouida, ſed improuida fuiſſet. Demonſtro, dum affatim à lata radicatione irrueret ſanguis vnà cum reliquis humoribus dum vi & impetu ingurgitarentur, obſtruerentur minores à principio venæ, quia cum tenui viſcidum, cum viſcido terreum mixta, & tanta impetu præcipitata, clauderent vaſa & ita obſtruerentur, &
cõſe

consequenter omnes homines essent morbosi. Sed ad arterias accedamus, summam esse impudentiam dicis, velle aliud viscus quàm cor arteriarum principium statuere. An quid vocas impudentes illos qui tuis in hoc exiguis rationibus (aliàs doctissime Galene) non præbent aures cum nullo fundamento nitantur? A corde quidem manat materia facultatis vitalis, at à cerebro facultas ipsa influit: quemadmodum ab eodem naturalis facultas, à iecore verò naturalis facultatis materia emanat. Quod verò à Capite ferantur quatuor paria venarum, & consequenter cerebrum sit earum radix, consule Hippocratem. Statuamus ergo nos vasorum radicem esse in cerebro cum Pelope, & idcirco facultates animalem, vitalem & naturalem inibi esse, quia instrumenta illius facultatis inibi sunt, concludamus rationibus in medium priùs allatis, vt vnusquisque cerebratus intelligat, nos extra rationem nihil & exerere & proponere, cùm & latiùs & vberiùs id, Deo dante, probaturi simus. Si quis ad hoc obiiciat: cur igitur asserunt Medici naturalem facultatem ab hepate, vitalem à corde dimanare & diffluere. Respondeo ad hoc Medicos fuisse deceptos, quòd non aduerterint materiam à corde & hepate, facultatem verò à cerebro deriuari. Sedes enim & animæ & facultatum ipsarum est in cerebro, è quo communicatur facultas vitalis primo cordi, dein & reliquis, vt & naturalis hepati primò, aliis postremò. Si quidem cor & hepar in subsidium cerebri creata sunt, & his

Hippocrates περὶ φύσιος ἀνθρώπου. Id est, de natura humana.

Obiectio.

Solutio.

tanquam coquis vtitur: nam quod in se efficere non debuit quod sit animæ & facultatum sedes, præcipuúmque totius corporis viscus, in aliis inchoat & perficit. Hinc libenter concedimus materiam facultatis vitalis à corde vt & naturalis ab hepate dimanare, diffluéreque: facultatem autem ipsam in cerebro residere, cuius influxum non negamus, nec facultatem vitalem esse quid ab anima distinctum sede arbitramur. Nam cùm anima sit qua viuimus, & facultate vitali viuamus, ibi erit facultas vitalis vbi animæ sedes est. Quod verò facultatis vitalis sit sedes cerebrum, multis id possumus argumentis demonstrare. Primò ratione nobilitatis & admirabilis ipsius compositionis. Nobilitatem ne Galenus quidem negauerit. Artificium quis stupidus non admirabitur? Secundò ratione instrumentorum ipsarum facultatum; sic, principium arteriarum & venarum est sedes facultatis vitalis & naturalis. At cerebrum est principium arteriarum & venarum: ergo. Maior est à Medicis omnibus concessa. Minor superius euicta est. Tertiò ratione & originis & substantiæ. Originis, quia partes spermaticæ videntur esse primò genitæ & consequenter cerebrum. Substantiæ, quia cùm sit substantiæ spermaticæ adeò eleganter & textæ & adornatæ, fons est procul dubio caloris & vitæ: siquidem in semine est humidum primigenium, in humido calidum. Nec moror quod fortasse dicent cor esse partem spermaticam, habet enim suos villos. Nam sic pars quælibet carnosa esset spermatica. Quartò ratione situs: cerebrum

rebrum enim in ſuperiori loco ſitum, tot firmiſſimis oſſibus vallatum eſt, vt fons & origo natiui caloris mereatur dici. Quemadmodum certè radij ſolares viuifici, dum ſol eſt in maiori ſua altitudine, pleniùs irradiant & calorem ſuum exerunt: ſic facultas vitalis in puncto ſuæ altitudinis planiùs ac pleniùs corporis noſtri partes irradiat, viuificátque. Quintò, quia eſt principium neruorum, debuit etiam venarum & arteriarum eſſe. Probatur cōſequētia: ſi quæcumque indigent ſenſu, indigent vita & nutritione, neruorum, venarum & arteriarum vna debuit eſſe origo. Prius eſt conceſſum. Connexum probatur ratione commoditatis & neceſſitatis. Commoditatis, quia nerui viuunt & conſeruantur vti reliquæ corporis noſtri partes, & ideò vita & nutritio à radice in radicem eſſe debuit. Neceſſitatis, quia neceſſarium eſt, vt anima tribuat vitam loco cui primùm inſidet, & ita neceſſe eſt vt ſenſus & vita à cerebro, & origines vaſorum iuxta ſint. Nec obſtat quod venæ & arteriæ in cerebro ſunt tenuiſſimæ, quoniam ſingula in radice tenuiora: in caudice verò ac trunco craſſiora exiſtunt, vt videre eſt in ſtirpibus & arboribus. Præterea cerebrum ſuam habet diaſtolem & ſyſtolem, quemadmodum cor; quid igitur cor vitæ principium potius ſtatuendum? Quinimmò victima quædam ablato corde tantiſper & reſpirare & intentè clamare viſa eſt, quoad per ſanguinis profluuium conciderit, vt aſſerit

Galen. lib. 2 de decretis Hippo. & Platonis.

Galenus. At nullus ablato cerebro ambulauit: Ergo cerebrum statuendum principium vitæ. Adhuc si cui amputetur caput, tripudiat caput, & multi ablato capite locuti sunt: At truncus cum corde corruit. In cerebro itaque inhæret vitalis facultas, quæ abscissum & ablatum caput mouet & agitat, derelicto trunco. Quòd autem Galenus ait loco iam citato, si tauris dorsi medulla qua ad primam colli vertebram exortus atque initium est, abscinditur subitò illos non modò currere, sed ne digitum progredi ait, cor autem pulsare aliquandiu post ictum, & sic statuendum pulsus principium cor, non verò cerebrum. Ad hoc sciendum pulsare aliquandiu, quia cùm sit facultatis vitalis coquus, spirituum copiam possidet, & ita spirituum impulsu nec amplius influente facultate vitali, fit motus defectionis potiùs quàm vitæ, & multò magis cerebro post præcisionem suus manet & naturalis, & vitalis motus. Item cùm calor cordis vrens sit, non potest dici fons vitalis caloris, siquidem calor natiuus non vrit, Galenò teste. Quod verò calor cordis vrat, vide eũdum Galenum 2. de temperam. Si enim digitum in recens dissecti animalis sinistrum cordis ventriculum immiseris, deprehendes calidissimum cor. Prætereà, Galeno loco de humana natura prius citato, calor natiuus non moderatus est, sed humidus: At cerebrum est calidum & humidum, lib. definitionum medicarum. Ergo cerebrum iure merito statuendum est fons & origo natiui caloris. His positis, quia

Galenus in lib. de humana nat. com. 2.

in

in rebus magis & clauis, & dilucidis dubitari assolet, obiicere possunt qui contrarium statuunt, cur moritur animal, paulò postquam exemptum est ipsi cor, cur non viuit, si cerebrum vitalis caloris sit scaturigo? Respondetur breuiter cor cerebri & facultatis vitalis esse coquum, & recoqui spiritus vitales in corde ad singularum corporis partium vitam, & ita indigere corde cerebrum, vt sine corde vitam nequeat tribuere, & ita facultas vitalis plangida tota ad suum centrum remeat, nec amplius sui luminis radios promit ad robur, vitámque totius. Par eademque hepatis est statuenda ratio, non propterea tamen tam cita sequitur mors, quemadmodum abscisso vel vulnerato corde. Hepar si quidem cùm cerebri, facultatísque naturalis coquus sit, nec spiritus naturales ad vitam sint adeò necessarij vti vitales: mors illicò non accidit, quia hepar quidem est generalis coquus spirituum naturalium. Sed vnaquæque pars corporis suum sibi coquit alimentum, licet in exigua copia dum chylus non probè mutatus est in hepate. Hinc fit, vt isti quàm illi suam longiùs protrahant vitam. Et hæc sunt pauca quæ nos pro præsenti tempore in medium afferre decuit, non studio quodam contradicendi maleuolo, sed ad Microcosmi nostri tutelam & defensionem, tum ad Pelopicæ sententiæ, veritatísque vberiorem indagationem. Nec mehercule credendum est tantum virum huius sententiæ vanum fuisse assertorem, quin ex oraculo & quasi ex tripode

dictum putandum originem vasorum esse in cerebro. Vnde facultatum sedem & nos elicimus iuxta superius enarrata, expositáque. Agnoscamus igitur reuerenter cerebri dignitatem, nobilitatem & necessitatem: nec amplius hæreamus in Medicorum vulgarium sententia & fimo putri, vbi distrahuntur animæ facultates, & à nobiliori, perfectioríque sede ad ignobiliora longè viscera traducuntur; sic vt Cerebrum quod sensum & motum aliis suggerit, vitam mutuò ab aliis accipere destinetur & cogatur. Microcosmum esse superiùs probatum est. Microcosmo deesse aliquid quis sanus negabit? Ideo (vt puto) dicitur Microcosmus, quòd quæcúque in maiori mundo reperiuntur proportione etiã & analogia hîc existant. At iam si negaueris facultatis vitalis sedem esse in Microcosmo, Microcosmum non esse Microcosmum procul dubio affirmabis. Procul hinc, procul esto talis vesania, vesanæque mentis ridiculum portentum. Si nolis nobiscum, permitte sanioribus saltem Medicis ita & sentire & credere quòd Cerebri Microcosmica dignitas sit cerebrato, & verè Microcosmico homine digna, vt mortuus tandem *Reuiuiscat Pelops.*

FINIS.

SVR LA RARETE' DV MICROCOSME DE MONSIEVR PISTORI.

STANCES.

LE Peintre qui fit la Cypris,
Dont l'Athenien fut espris,
Et vint fol d'amoureuse rage,
Rendit son dessein si parfaict,
Qu'il eternisa son ouurage,
Et fit admirer son pourtraict.

Zeuzis a veu sur ses tableaux
Voler à troupes les oyseaux,
Bequant les raisins sur la souche,
Myrmecide aupres d'Ariston
Peignit sous l'aisle d'vne mouche,
Le Chariot de Phaëton.

L'autre d'vne ſubtile main
Graua tout l'Empire Romain:
Au milieu du bouclier d'Ænee
Ciceron a veu pluſieurs fois
Toute l'Iliade enfermee
Dans la Coquille d'vne noix.

Mais tous ces Peintres & ces traicts,
Ces raretez & ces pourtraicts
Ne ſont en fin que des figures,
Diſſemblant à tes traicts charmez,
Autant que les mortes peintures
Different des corps animez.

PISTORI, *tes doctes eſcrits*
Admirez des plus beaux eſprits,
Ornez de grace & de merueilles:
Soubs ces belles conceptions
Forcent nos yeux & nos oreilles,
D'admirer leurs perfections.

Quand ie va contemplant l'obiect
De ton MICROCOSME *parfaict*
De ce petit monde, du monde
I'admire en ſes ſubiects diuers,

De

De voir dans ceste Sphere ronde,
Enclos tout ce grand vniuers.

Ie sçay qu'vn autre rare esprit
A faict vn miracle descript,
Et treuué sa forme parfaicte:
Mais dissemblant en nos accords,
Ce que tu formes de la teste,
L'autre le prend sur tout le corps.

Ainsi en tes doctes esbats,
Des humains tu fais des Atlas,
Leur chef porte la terre & l'onde,
Les Astres & les Elements,
Et tout ce qu'on remarque au monde,
Par son estre, & ses mouuements.

On dit que Pelops *autresfois*
A esté d'vne mesme voix,
Et qu'en toy on le voit reuiure:
Aussi puisses-tu bel Esprit,
Eterniser auec ton liure,
Ton nom, ton monde & ton esprit.

TIMOTHEE DE CHILLAC.

ILLVSTRI ET EGREGIO VIRO,

MVSARVM AC VIRTVTVM ornamentis fœliciter instructo, D. IOANNI PISTORIO, Basiliensis Academiæ Doct. Med. contubernali, & amico suauissimo.

Ob supremam Apollinis laurum faustis auspiciis à se partam.

Ingere cùm roseas tenera lanugine malas
Incipiat tibi nunc vix iuuenile decus.
Serta tamen nitidos redimunt iam laurea crines,
Doctáque nunc rutilo frons tibi honore viret:

Te

Te clariùs equidem placidis Deus vidit ocellis,
Adfuit Aonidum grex tibi & ipse fauens:
Nam sua sæpè solent manibus effundere parcis
Munera, sed tibi dant cuncta beata simul:
Porrigerent vtinam notis hæc numina nostris,
Talia nunc precibus sors inimica negat:
Hinc gemerem, nisi me fœdus retineret amoris;
Sic amor heu prohibet, quod mea fata iubent:
Gratulor ergo tuos iusta tibi mēte triumphos.
(Candida pars animæ dimidiūq; meæ)
Faustáque lux horis veniet comitata serenis.
Quæ dabit hoc nobis carpere forsan iter.

Macte

Macte animo interea iuuenis praeclare, nec vsquam
Te cesset celebri laude beare labor:
Sic rapitur caelum, petitur sic fama superstes,
Ignea sic scandet nomẽ in astra tuum.

Hanc veræ gratulationis tesseram, hoc amicitiæ nusquam intermoriturae signum, hoc denique grati animi, iucundæ recordationis & humilis obseruantiæ specimen tibi impertiebat, Chariss.mi Pistori, vsu & mancipio æternum Tuus,

CAROLVS ANDREAS FABER,
P. Cyuericensis Doct. Medic. Monspelij. ann. 1606. mens. Nouemb.